Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



germanos eo principe res feliciter geste sunt. Bellum ipse unum gessit.
marcomannicum. sed quantum nulla memoria fuit. adeo ut punicis
conferatur. Nam eo gravius factum. quod universi exercitus romani perierat. Sub
hoc enim tantus casus pestilentie fuit. ut per victoriam persicam rome
ac per italiam. provinciasque maxima hominum pars. militum omnis fere
copie languore defecerit. Ingenti quoque labore & moderatione cum
apud carnuntum iugi triennio perseverasset. bellum marcomannicum
confecit. quod cum eo squadi. wandali. sarmate. sueui atque omnis barba-
ria commouerat. multa milia hominum interfecit. ac pannoniis ser-
uitio liberatis. rome rursus cum commodo antonino filio suo. quem
iam cesarem fecerat. triumphavit. Ad huius belli sumptum. cum erario ex
hausto largitiones nullas haberet. neque indicere provincialibus
aut senatui aliquod uellet instrumentum regii cultus. facta in foro diui
triani sectione distraxit. uasa aurea pocula cristallina marmorea urrina
uxoriam ac suam sericam & auream uestem. multa ornamenta germanorum
ac duos per continuos menses uenditio habita est. multumque auri redac-
tum. Post victoriam tamen emptoribus precia restituit. quia reddere compa-
rata uoluerit. molestus fuit nulli. quia maluit semel empta retinere.
Hic permisit uiris clarioribus. ut conuiuia eodem cultu quo ipse. & minis-
tris similibus exhiberent. In editione munerum post victoriam adeo
magnificus fuit. ut. c. simul leones exhibuisse tradatur. Cum igitur for-
tunatam rem publicam. & uirtute & mansuetudine reddidisset.
obiit. xviii. anno imperii sui. uite. lxi. & ab omnibus certatim anniten-
tibus. inter diuos relatus est. Huius successor antoninus commodus. nichil pa-
ternum habuit. nisi quod contra germanos feliciter & ipse pugnavit. Septem-
brem mensem ad nomen ipsius transferre conatus est. ut commodus diceretur. sed ux-
oria obscenitate depravatus. gladiatoriis armis sepissime in ludo.
deinde etiam in amphiteatro cum hominibus huiusmodi dimicavit. Obiit
morte subitato. adeo ut strangulatus. vel ueneno interfectus putetur. cum
annis. xii. post patrem & viii. mensibus imperasset. tanta execratione omnium

Antonin